



Seevogel ille Basileæ natus & educatus fuit. Cum autem is multis uirtutibus esset insignis, atq; etiam magna prudentia & fortitudine ornatu, breui in senatum ascitus fuit. Ibi ob præclaras animi & corporis dotes res sibi commissas egregie expediuit, atq; hac ratioe inter ciues magnam sibi auctoritatem comparauit. Eo autem tempore Conciliũ generale Basileæ celebrabatur, atq; Eugenio deposito Amadeus Sabaudus papa creatus fuit. Itaq; Eugenius à Carolo Francorum rege impetrauit, ut is Ludouicum filium Delphinũ maximo exercitu in Heluetiam mitteret, ad Cõcilium illud dissipandum. Id cum Heluetij intellexissent, qui tum Tigurum urbem arcta obsidiõ premebant, atq; Basiliensibus fœdere quodam iuncti erant, subito mille sexcentos fortissimos pedites Basileam in subsidium mittere statuerunt. Interea Delphinus triginta millibus equitum & peditum in proximis pagis circa Basileam confederat, atq; Heluetios instructis copijs expectabat. Itaq; Basilienses illicõ hũc Seevogel magnæ auctoritatis uirum ad Heluetios miserunt, atq; eos obnixè rogarunt, ne se tantæ hostium multitudinẽ obijcerent, uerũ trans Birsam torrentem in loco aliquo tutiori commodiorem occasionem expectarent. Verũ Heluetij magna alacritate præditi consilium illud spernebant, atque Basiliensibus suppetias ire certõ proposuerant. Id cum Legatus Basiliensium cognouisset, ne timiditatis argueretur, sese eis coniunxit, atq; belli aleam cum ipsis experiri statuit. Peruenerant iam Heluetij Bratelen miliare ab urbe distantem. Ibi inuentos hostes, quos Armeniacos uocarunt, aggressi sunt, atq; eo loco expulerunt. Postea ulterius progressi circa Muttetz eandem fortunã experti sunt. Eo successu feroces facti, unanimes inuicem concluderunt, sese uel inuitis hostibus in urbem profecturos.